



Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 2. An consensus ex errore, vel dolo datus contractum invalidat?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

implere, nam ex Justitia tenebatur verè contrahere, & sic injuriam fecit fictè contrahendo: ergo tenetur injuriam illam tollere, verè postea contrahendo; nisi tamen excusaret aliqua alia justa causa: quo casu semper damnum ex deceptione ortum resarciri debet.

Q. 2. *An consensus ex errore, vel dolo datum contractum invalidat?*

Not. I. Error est iudicium falsum. *Dolus malus est omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita.* 1. i. ff. de dolo malo.

Not. 2. Error, vel dolus potest esse 1. Circa substantiam rei, de qua contrahitur, ut si emas vitrum pro gemma; vel circa naturam contractus, ut si consentias in contractum quem putas esse commutationem, cum sit locatio; vel circa motivum substantiale, seu principale contractus, ut si Titio promittas mille aureos: quia putas esse consanguineum tuum, cum non sit. 2. Circa accidens, seu qualitatem accidentalem rei, contractus, vel motivi principalis. Porro in multis contractibus ratio personæ se habet tantum accidentaliter, ut in venditione, &c. In quibusdam vero habet rationem, vel motivi substantialis, ut in donatione, & promissione liberali; vel substantiæ obiecti, ut in matrimonio.

Not. 3. Illud censetur pertinere ad substantiam

tiam rei in contractibus, ad quod ex communione hominum usu, vel dispositione legis præsumitur saltem implicitè, & virtualiter restricta contrahentium intentio, ita ut illo sublatore tollatur intentio contrahendi.

Not. 4. Duplex est motivum contractus: unum intrinsecum, ac substantiale, quod est id, in quo voluntas primariò fertur, dum contrahit, ut in matrimonio requisitio dominii in corpus coniugis, in emptione acquisitione rei venditæ, &c. Et aliud extrinsecum contractui, estque causa tantum impulsiva ad contrahendum, ut nobilitas, divitiae in matrimonio, &c.

Not. 5. Error, vel dolus potest esse antecedens, vel concomitans. Antecedens est, qui dat causam contractui, ita ut sine illo non fuisset initus. Concomitans seu incidens est ille, qui non dat causam contractui, sed solum alii cui conditioni eius, aut circumstantiæ, in quantum scilicet sine illo contractus quidem fuisset, sed alia conditione, v. g. viliori pretiore res fuisset empta, si aliquis defectus innotueret.

Resp. I. Quilibet error, vel dolus circa substantiam rei, vel naturam contractus, vel motivum intrinsecum, ac substantiale invalidat contractum jure naturæ. *Est communis.* Quia deest consensus in aliquid substantiale, quod ignoratur: voluntas enim non fertur in incognitum, ex l. II. & 41. ff. de contrah. empt.

& l. 9. cod. de jur. & facti ignor. ibi: cùm nullus sit errantibus consensus. At sine consensu circa omnia substantialia contractui, nullus est contractus, ut pote à libera voluntate dependens, ut constat ex ejus definitione. Hoc procedit, etiamsi error sit concomitans; quia illo posito non adest consensus substantialis, ob defectum cognitionis, cùm non consentiant, qui errent: quid enim rati contrarium consensui, quam error? l. 15. ff. de jurisdict. at nihil subsistit sine eo, quod est de illius substantia.

Hinc 1. Si putarem tibi vendere agrum, & tu putares tibi donari, nulla est venditio, nam erratur in specie contractus. 2. Venditio va-
sis ærei pro aureo nulla est. 3. Nullum est matrimonium cum Berta, quæ putatur esse Ti-
tia. Item si quis falsò putans matrimonium esse solubile, velit tantum facere contractum solubilem, & potius non contrahere, nullum est matrimonium. Si tamen intendens face-
re contractum solubilem, habeat simul volun-
tatem generalem faciendi contractum, quem alii faciunt, valet matrimonium vi illius con-
sensus generalis, qui debet censi absolute, & efficax.

Resp. II. Si error, vel dolus sit circa qualita-
tem, & non det causam contractui, ex communi
non irritat contractum: quia non tollit con-
sensum circa substantialia. Unde si rem plu-
ris emeris, quām valeat, tenet contractus; sed
venditor tibi restituere tenetur excessum pretii
non

DE CONTRACTIBUS. 409

non solum supra summum, sed etiam supra illud justum, quo, sublato dolo, res vendita fuisset: quia excessus fuit dolo extortus, ideoque quoad illum facta est injuria. Nec contractus potest irritari à decepto; quia dolus, seu injuria non fuit causa contractus; & per restitutionem excessus pretii tollitur injuria, & deceptus constituitur in eo statu, in quo fuisset sublato dolo. Imò etiamsi error, vel dolus circa accidentalia, vel causas quæ allicitunt aut avocant à contractu, det causam contractui, non invalidat contractum, ex l. 5. Cod. de inutil. Stipul. & L. 5. Cod. de Rescind. vendit. quia cùm error, vel deceptio non sit circa substantialia, non impedit consensum substantiali, & sic perficitur essentialiter contractus. Accidentia enim, & extrinseca non tollunt substantialiam rei. Idque patet in contractu matrimonii, quod juxta omnes vallet, etiamsi contrahatur cum paupere, eo quod putetur dives. Nec refert, quod si scivisses illam qualitatem, vel conditionem rei, non contraxisses; nam actus iste voluntatis, qui ob cognitionem talis conditionis futurus fuisset, non est actu nec virtualiter, & sic nihil efficit, nec impedit consensum actualem absolutum ac sufficientem: alias omnes ferè contractus nulli essent.

Error tamen circa qualitatem invalidat contractum, quando contrahens expressè vel implicitè non vult contrahere, nisi objectum sit

Cc 5 quali-

qualitate affectum: nam tunc qualitas illasimul cum substantia rei ingreditur objectum substantiale contractus: & non est voluntas contrahendi, nisi positâ illâ qualitate tanquam conditione.

Resp. III. Quoties error, vel dolus circa qualitatem, dans causam contractui, provenit à parte contrahente, contractus et si validus potest rescindi pro voluntate decepti, si solubilis sit, unde non est omnino firmus. *Est communis.* quia decipiens injuriam facit, quantum tollere, auferendo dolum, & restituendo deceptum in eum statum, in quo erat ante contractum, & sic reddendo omnia infecta, si deceptor velit. Deinde *fraus,* & *dolus cuiquam patrocinari non debent,* cap. 5. *de empt.* ac proinde deceptor habet jus dissolvendi contractum, & tollendi obligationem illam, si voluerit consensum revocare. Quare talis contractus decipientem absolutè, & irrevocabiliter, cum sit validus, nec habeat jus eum rescindendi: deceptum vero revocabiliter, & conditionatè tantum, si nolit contractum rescindere: qui si velit stare contractui, tenetur deceptor excessum pretii pro merce vitiosa accepti reddere. Imò juxta De Lugo quando contrahens inculpabiliter decipit per deceptionem, quæ dat causam contractui, potest deceptor dissolvere contractum, quod sensu statutorum contrahentium hic est, ut nolint irrevocabiliter se obligare nisi stante veritate eorum, quibus

quibus alter contrahens inducit ad contrahendum.

Dixi, *Si solubilis sit, nam iis, quæ constituunt statum ex natura sua firmum, & irrevocabilem, qualia sunt matrimonium, & professio Religiosa, voluntas naturæ rei, de qua agitur, accommodat se, & consentit absolutè, irrevocabiliter, & independenter ab aliis conditionibus, quæ non sunt de substantia talis contractus.*

Si verò talis error, vel dolus dans causam contractui proveniat non à parte contrahente, sed aliunde ipsâ inficiâ, tunc non solum valet contractus ob consensum circa substantialia, sed etiam rescindi nequit à decepto. *Ita multi.* quia pars contrahens non fecit ei injuriam, unde nec tenetur restituere alium in priorem statum, ac libertatem, sed solum reddere excessum pretii, ut reponatur æqualitas. Deceptor verò tenetur resarcire damnum illatum, cùm sit causa illius injusta.

Excipe promissionem gratuitam, & donationem liberalem: nam possunt revocari pro arbitrio decepti, si error, vel dolus circa notabilem quantitatem causam dederit, quamvis non proveniat à promissario, vel donatario. Quia in illis pactis unus solum se sponte, & ex liberalitate obligat, id ēque pendet ab illius solius voluntate, ut pacto apponat conditio nem, vel limitationem, quam voluerit, qualis est hæc, ut nolit obligari saltem irrevocabiliter, si nota-

Si notabilis sit error, vel mutatio. Aliud est contraetibus onerosis, seu reciprocis, qui pendent à voluntate duorum se se mutuo obligantium, qui sic invicem obligari volunt, ut secus errore circa substantiam rei, vel contractus, & dolo quolibet dante causam contractui, & ab altero contrahentium proveniente, rescindi non possint ab alterutro: alioqui sepe nulla foret contractuum securitas, & pateret via innumeris litibus; nam facile alteruter sibi persuaderet se suisse deceptum. Excipiuntur sponsalia, in quibus major libertas desideratur, eo quod ordinentur ad munium amorem, & ad contrahendum indissolubile matrimonii vinculum.

Q. 3. An validus, ac firmus est contractus ex metu celebratus?

Not. Duplex est metus, levus, & gravis. Metus gravis, aliis est absolutè gravis, alias respectivè. Metus gravis absolutè & qui dicitur cadens in constantem virum, est metus alicujus mali in se gravis, quo vir fortis commoveri solet: ut metus mortis, mutilationis, diuturni carceris, exilii, jactura omnium bonorum, amissio statis, &c. Sive haec mala immineant timenti, sive ejus liberis, parentibus, conjugi, vel consanguineis. Ad metum gravem revocatur metus reverentialis, seu timor habendi parentem, vel superiorem infensem,

Si haec